

GEORGIVS SAVROMANNVS VRATISLAVIENSIS
Præpositus.



Georgius ex honesta familia apud Germanos natus, et omni genere uirtutum educatus est. Is à pueris operam literis dedit, atq; in liberalibus studijs plurimùm profecit. Postea uero cum adoleuisset, Maximiliani Cæsaris castra secutus, tales se contra hostes exhibuit, ut à Cæsare eques cōstitue retur. Cum hoc modo literis & armis corporis atque animi uirtutes declarasset, omnibus doctis etiam apud exteras nationes innotuit, atq; à Paulo louio inter præstantissimos Germanos celebratus fuit. Deinde etiam Vratislauiensis præpositus electus, suam functionē magna laude administravit, et Erasmo Roterodamo ob præclaram doctrinam familiaris extitit. Scripsit is orationem Panegyricam de laudibus Maximiliani, Carolo & Ferdinando Cæsaribus nuncupata, quæ Basileæ 1520 fuit edita. Postea quoq; orationem ad principes Christianos composuit, de religione ac communi concordia, quæ Romæ est publicata. Itaq; factum ut Georgius ob uarias uirtutes Germaniam patriam decorarit, atq; merito hoc loco inter Heroes connumeratus fuerit. P. louius in elog. doct.